

WELL. *Disp. 18. th. 10. lit. B.* In petendo autem instituendoque Syndicatu eadem forma eademque processus leges, quae in Reuisione, obseruantur *Ordin. Cam. d. 1. §. 10. vers. auch den Proceß derhalben fürzunehmen, immasseu hierbey der Reuision halber gesetzt 2c.* Differentiam eruditus lector ex definitione colligere potest. 2) *Remedium Supplicationis*, quod est querela de aliquo grauamine illius, qui ob causam aliquam a iudice a quo appellare nequit, quique se grauatum queritur et sententiam vel ab eodem, qui eam dixit, vel eius superiori, retractari petit. *l. 5. et auth. quae supplicatio C. de precib. Imp. offerend.* Locum habet in iudicio Aulico Caesareo per *Instrumentum Pacis Caesareo-Suedicum artic. 5. §. 54.* in verbis: *Ne partes ibidem litigantes omni remedio suspensiuo destituantur, loco Reuisionis in Camera vsitatae licitum esto parti grauatae a sententia in iudicio Aulico lata ad Caesaream Maiestatem supplicare, etc.* vid. *R. D. D. tit. 5. §. 7.* Differentiam autem Supplicationis et Reuisionis vide apud *MYNSING. cent. 6. obs. 15.* 3) *Querela Nullitatis* quando scilicet iudex nulliter processit eaque vel agendo vel excipiendo proponitur, et quidem de Iure Ciuili, vt aliae actiones, per 30. annos, quod tempus tamen in Electoratu Saxoniae restrictum est ad terminum Saxonicum, nimirum ad sex septimanas et tres dies a die sententiae publicatae computandos. *Ord. Process. tit. 38.* In Decretis autem aliisque actibus iudicialibus etiam in foro Saxonico intra 30. annos, annum et diem super nullitate experiri licitum esse testatur *CARPZOV. Process. tit. 29. artic. 3. n. 13. et seq.* 4) *Appellatio*, quae est ab inferiore iudice ad maiorem et superiorem ratione grauaminis gradatim facta prouocatio. Differentiam eius et Reuisionis vide apud *MYNSING. cent. 6. obseru. 15.* 5) *Superleuiteratio*, quae nihil est aliud, quam Reuisio quaedam Actorum et praesertim in *Aulis Electoris et Principum Saxoniae* admittitur, imo nec in omnibus causis, sed in iis duntaxat, quae in prima statim instantia ibi coeptae vel per Commissarios et Delegatos, non vero quae per viam appellationis contra sententias definitiuas interpositae, eo deuolutae sunt, *Constit. Elect. 19. p. 1.* et ad eam *CARPZOV.* 6) *Restitutio in integrum*, non tamen omnis, sed

fed